

CHRISTOPHERVS BARO AB EYZING EN.



Christopherus ex illustri familia baronum ab Eytzingen natus , & in omni genere uirtutum honeste educatus est. Is in primis bonis literis operam dedit, & earum mediocrem sibi usum comparuit. Inde quoque animum ad militaria studia adiecit , & ipsum corpus honestis actionibus egregie exercuit. Eratautem natura prudens , atque rebus agendis fœlicissimus. Id cum Maximilianus rex Bohemiæ & Austrïæ Archidux cognosset, eum , qui iam antea Archicamerarius hereditarius Austrïæ esset , in suum consilium admisit, & res magnas cum eo contulit. Postea quoque Curiæ Magistrum constituit, & inter alios familiariter eum dilexit. Cum etiam Maximilianus anno post natum Christum millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Franckoforti Cæsar designaretur, Christopherus actioni interfuit, & suis uirtutibus familiam Cæsaris plurimùm exornauit. Vnde merito is illustribus Germaniæ uiris connumerari debet. Anon.